

## CERTIFICAZIONE LATINA 2024

### LIVELLO B1

#### Test B1 – seconda parte (traduzione)

tradurre la sezione in corsivo (60 minuti)

#### Summarium

**Medicus quidam Mediolani dementes et insanos horribili cruciatu curabat. Unus ex his, sanus factus, super ostium stans, equestrem iuvenem advenientem interrogat.**

1 *Fuit olim civis Mediolani dementium et insanorum medicus, qui ad se delatos intra certum tempus*  
2 *sanandos suscipiebat. Erat autem curatio huiusmodi: habebat domi aream, et in ea lacunam aquae*  
3 *foetidae atque obscenae, in quam nudos ad palum ligabat eos qui insani adducebantur: aliquos usque*  
4 *ad genua, quosdam inguine tenus, nonnullos profundius pro insaniae modo, ac eos tamdiu aqua atque*  
5 *inedia macerabat, quoad viderentur sani. Allatus est inter ceteros quidam, quem usque ad femur in*  
6 *aquam posuit, qui post quindecim dies coepit resipiscere, ac curatorem rogare ut ex aqua*  
7 *reduceretur. Ille hominem exemit a cruciatu, ea tamen condicione, ne aream egrederetur. Cui cum*  
8 *diebus aliquot paruisset, ut universam domum perambulet, item ut exteriorem ianuam non*  
9 *egrederetur permisit; reliquis sociis, qui plures erant, in aqua relictis. Paruit diligenter medici*  
10 *mandatis. Stans vero aliquando super ostium, neque enim egredi audebat timore lacunae,*  
11 *advenientem equestrem iuvenem cum accipitre et duobus canibus, ex his qui sagaces dicuntur, ad se*  
12 *vocavit, rei motus novitate, neque enim, quae ante in insaniam viderat, tenebat memoria. Cum*  
13 *accessisset iuvenis: 'Heus tu,' inquit ille, 'ausculta, oro, me paucis, ac, si libet, responde: hoc quo*  
14 *veheris, quid est, et quamobrem illud tenes?' 'Equus est,' inquit, 'et aucupii gratia.' Tum deinceps:*  
15 *'Vero hoc quod manu gestas, quid vocatur et in qua re illo uteris?' 'Accipiter,' respondit, 'et aucupio*  
16 *aptus querquedularum et perdicum.' Tum alter: 'Hi qui te comitantur, qui sunt, age, et quid prosunt*  
17 *tibi?' 'Canes,' ait, 'et aucupio accommodati ad investigandas aves.' 'Hae autem aves, quarum*  
18 *capiendarum causa tot res paras, cuius pretii sunt, si in unum conferas totius anni capturam?' Parum*  
19 *quid nescio cum respondisset, et quod sex aureos non excederet, subdit homo: 'Quaenam est equi,*  
20 *canumque et accipitris impensa?' 'Quinquaginta aureorum,' affirmavit. Tum admiratus stultitiam*  
21 *equestris iuvenis: 'Ho ho,' inquit, 'abi hinc ocius, oro, atque adeo avola, antequam medicus domum*  
22 *redeat. Nam si hic te compererit, veluti insanissimum omnium qui vivant, in lacunam suam coniciet*  
23 *curandum cum ceteris mente captis, atque ultra omnes usque ad mentum in aquam summam*  
24 *collocabit.'*



